

Bibliothèque numérique

medic@

**Laverne, Nicolas-François - candidat /
Crochet, Etienne - président / Afforty,
P. F. - auteur. - An nutritio
secretionum opus ?**

1781.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°56***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0056](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0056)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIJ Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,*
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quintâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXI.

M. STEPHANO CROCHET, Doctore Medico, Præside.
AN NUTRITIO SECRETIONUM OPUS?

I.




ASCI, vivere, mori, lex una, fatum idem; Qui vitæ principium, idem & mortis rudimentum, motus. Eo prima evolvuntur Embryonis efformandi fundamenta; præparantur applicanda crescentis elementa; attrita etiam eodem exhalant partium molculæ; reparantur dein & ipso. Sic vita, consumptio, sanitas, morbus, causæ similis, effectus impares. Ut autem diu corpus subsistat opus est ut tantum & tale in humoribus solidisque perpetuò restituatur, (a) quantum & quale per motus varios fuit perditum. Illud verò nutritione peragitur, quam continuatam merito dixeris generationem; (b) iis etenim nutriuntur, & augentur, quibus constant corpora, particulis. Et ait Galenus, unumquodque eâ ipsâ substantiâ, quâ primum gentium est, ali etiam perpetuo consuevit. Nutritionem quidem inter perfectas nullo modo reposueris œconomix functiones, priorum quippè requirit perfectissimam functionem. Amissi etenim homines quoad materiam, ex cibo, potu, aëre reficiuntur; quoad verò dotes requisitas, non nisi antecedente, digestionis,

(a) Boerhaave, inst. de Nutr. n. 43.

(b) G. de Berger. de nat. hum. de nutrit.

* Autore P. F. AFFORTY. 1752.



(c) Santorinus de nutritione. Animal. n. 7.

Κυλοποιήσεως, & multiplicis secretionum ordinis operatione, refarciuntur. Ex his consecuta venit partium ἐμολύσεως; quæ simplex nequaquam, (c) earum enim non una crasis: imò singularum specificæ, seu propriæ affectiones. Quapropter nec eadem nutritio unicuique valet sufficere. Quamvis igitur fons sit unus qui diversas, pro diversâ deperditorum indole, suppeditet materias, requiritur ut varia sint, quæ varium secernant & applicent genus nutrimenti, colatoria: quibus genuinum cuique pabulum tribuatur, par deperditis concedatur exhaustæ parti refectio. Hujus materies proxima serum blandum, tenax, plasticum, subtilissimum, substantiæ corporis analogum. Cui præparando, juvantibus liquorum in capillaribus morâ, cordis contractione, arteriarum elatere, reciproco thoracis motu, partium denique tono, inservire videntur omnes, quæ peraguntur in humano corpore secretiones. Nam eas inter, aliæ quidquid alimentorum conversionem adjuvare valent, subministrant fideliter: aliæ præparatam alibilis succi materiem prudenter segregant, ipsiusque vehiculum; dum plures noxium omne vel superfluum, felici potentiarum concursu, foras satagunt eliminare.

I I.

CORPUS humanum mirabili artificio constructum, in minimo sui puncto, diversæ diametri vas esse constat; adeo ut congeries quædam aggregatarum arteriarum, & ex iis egredientium venarum, pororum, ac ductuum, in variam figuram, breviusquæ spatium ordine stupendo coactorum, ipsum esse videatur. Per lambentibus hoc fluidis, naturâ crassitie, motu dissimilibus irroratur perpetuò. Hinc secretionum causa, materies. Organum autem secretorium illud dixeris, quod dispositione mechanicâ commixtas in alveo communi liquidorum moleculas, plures sæpius inde colligendas disgregat; unde novus exurgit humor, à fonte è quo educus fuit crasi maxime distinguendus. Peculiari huic officio dicatas unicè glandulas afferuit Peyerus. Plures & aliæ de illarum usu & fabricâ floruerunt sententiæ. Malpighius glandulam tanquam folliculum arteriam inter & venam medium intuetur, cui tertius alter inhæret ductus, secretorium vocat, proprium parti liquorem à sanguine amandaturus. Ruischius verò subtili suâ injectionum arte, ad illarum examen accinctus, unicam eas vasorum aggrégem haberi posse contendit. Ulterior & Malpighio ascripta elucet opinio, infundibulum, seu incerniculum glandulis concedit, membranæ expansione efformatum: cujus in superficie, plurima repunt plexu mirabili, tum sanguinea tum lymphatica ordinis diversi vasa. Alia massam humorum deferunt ad organum, & sunt arteriosa: alia peculiarem excipiunt, & secretoria: residuum alia tandem circulationi restitunt, & venosa sunt generis cujuscunque vascula. At inde necessarium ne putes ad secretionem quamlibet incerniculum, imò glandulam? Non æqualis ubique hujusce apparatus utilitas; ut patet ex corticali cerebri substantiâ & hepatis, in quibus factâ diligentiori *exquisitione*; nihil aliud præter vasa, quod glandularum, vel acinorum mereatur nomen, reperias. (d) Non igitur diversa secretionum ratio, à fluidi secernendi relatione ad figuram secernentium vasorum, neque à fermentis, neque ab analogiâ desumenda; at potiùs à variâ diametrorum capacitate, & fluidi crassitie expromatur.

I I I.

VARIÆ si spectentur, quas successivè subeunt alimenta, mutationes, antequam indolem parti cuilibet perfectè analogam redoleant, *intercedentibus* tantum eas *segregationibus* absolvi (e) patebit invictissimè. Hinc à providiâ naturæ sedulitate, pro diversitate humorum, varia structorum vasorum distinctio. Hinc & aptissima organorum appositio, quæ primis nutrimenti subactionibus, διακρίσει perpetuâ, in desinenter incumbunt. Namque primò gurgite multiplici, ex arterioso sanguine saliva erumpens, sale suo nitro salino (f) esculentorum partes potenter penetrando, primam ipsis impetit animalis naturæ diathesim. Liquor dein hæce

(e) Barthol. Cast. Lexic. Medic. nutriti. defe.

(f) Berger. Bagliv. de saliva natu. & usu.

3

pinguior & lentior ab arteriâ œsophageâ paratus, assidue stillans, ulterius miscetur iis, paratiorem efficit deglutiendis viam. Nunc verò excepta in cavo ventriculi ingesta, fecundo membranæ criptulis plenæ spumosoque latice diluta, fermentationem quamdam concipiunt, meatibus & fluidis adaptantur. Hinc ex cibis vegetabilibus & animalibus; resolvendo, fit humor nostris sat similis. (g) Intestinalis etiam tubus ex glandulosis emissariis glutinosum undiquè spargens rorem sibi demandatas eadem operâ partes adimplet, & vi fabricæ secernit ipse, in quo fiunt secretiones. Quin & bilis utriusque, saponaceæ, oleo, sale, spiritibusque turgentis operatione, succi etiam pancreatici, salivæ simillimi, ex ductûs wirsungiani duodeno obliquè cum choledoco inserti finibus, erumpentis accessione, perfectior exurgit assimilatio, facilior per lactea fluidiori chylo introitus. Neque ad alium usum corrivantia per glandulas mesaraicas, & conceptaculum commune Pecqueti innumera ferè, quæ infrà diaphragma repunt vasa lymphatica, quàm ut ope lymphæ fiat chylus dilutior, spiritus fortè animales ipsi misceantur in glandulis; quin & subtilissimus accedat ab his diversus humor. Abcissæ enim in partes binas glandulæ, si premantur, succum edunt à lymphâ planè distinguendum. Ad quid autem multiplex ille colatoriorum consensus? Nonne ut diversæ mixtorum partes evolvantur? Rudis adhuc chylus exquisitoribus pateat secretionibus; tenuissimis feliciter distinguatur in alveolis? Adeò ut inceptum à secretionibus opus, iisdem absolvendum natura commississe videatur.

(g) Boerh.
instit. de acti.
Ventricul. in
ingest.

I V.

HIS concurrentibus inchoata nutrimenti materies interiora brevi subeat corporis penetralia necesse est: *quod enim jam coctum, quam citissime distribui convenit.* (h) Quò quidem tendit maximè venarum lactearum constructio. Chylus namque in hiantia ipsarum ostiola, impresso intestinorum motu, compulsus, per infinitos in mesenterio furculos, favente valvularum semilunarium consortio, in ramos inde majores ità protruditur, ut totus ad sinum Pecqueti confluens, ab eo per ductum thoracicum, cor versus, per osium semicirculare in subclaviam sinistram infundatur. Qui autem sanguini committit succum alibilem, idem & ab ipso perfectiorem eundo, secludit secretionum apparatus. Quemadmodum enim intrà tubum intestinale, quidquid inest substantiæ laudabilis in lactearum radices exprimitur; ità & in arteriis successive tenuioribus, per laterales canaliculos, accomodatum omne truditur & secernitur fluidum, ut extrà cæterorum consortium, propriis se se muniis promptissimum exhibeat. Sicuti etiam ad intestina crassiora dimanat omne quod factâ secretionem chyli superfluum idem & per venas, factâ laticis proficui secretionem ad communem massam residuum traducitur. Cui autem usui multiplices illæ inflexæ & plicatæ arteriarum productiones, ipsarum in venas & emissaria propaggines, nisi ut à cohæsione vindicentur fluidorum moleculæ, ulteriorem sui divisionem ac proindè elaborationem patiantur? sanguinis etenim rubicundi unà cum lymphâ ex corde versùs peripheriam propulsi serosa pars in adnatis lymphaticis excipitur. Hæc autem cæterarum secretionum parens, plurimam edit vario tractu sobolem. Vel enim illa, quod immisum in vas lymphaticum hydrargyrum glandulæ substantiam in partes tenues divisam argenteo colore exornans abundè comprobat, conglobatas transitu salutari pereptat, in quibus dat aliquid sec' usum vel recipit, priùsquàm sit ad sanguinem cum chylo redux. Vel per contortas & collectas ferrur arterias, quæ ex ambitu anteriore, poris suis in ductus secretorios communicantes, in proximas venarum radices replicantur. Horum autem divisionem, quæ oculorum aciem fugit, vix ingenio physico prosequi licet. Hoc vigente vasculorum commercio, his divisionum gradibus, perfecitur ros ille tenuissimus, verum nutrimentum; vehitur, apponitur, applicatur. Corpus vivit, nutritur, augefcit. Verùm hoc intermisso nexu, fatiscit brevè. Hujus eximium habeatur exemplum, ex naturali in senibus vasorum

(h) Gal. de
usu part. c. p.
VIII.

coalitu, morbosâ quandoque eorumdem obturatione à quibus nascuntur *ατρωσία*,
marcor.

V.

QUÆ nutritionis necessitatem ponunt perennes humani corporis excretiones, ultimum illæ tribuunt ipsi perfectionis gradum. His sæculentæ, post nutritionem, humorum particulæ, longè extra circulationis ambitum expelluntur. Earum princeps & uberrima sanctoriana perspiratio. Non enim illâ tantum ipsius nutrimenti vehiculum exhalat: sed & abradi terræ, salium & olei ramuli sub formâ vaporum expirant. Quæ nisi fiat, collectæ in vasis sordes, in ductibus impactæ, vires ferunt functionibus inimicas; sædantur liquores: nutritio nulla est, aut fit in omni parte pravissima. Idem & ut supervacaneis particulis liber & exsolutus sanguis utilem nutritioni lympham, & ex eâ emergentes humores aptius distribuat; innumera distinguuntur arteriarum emulgentium capillaria, in membranæos tubulos, & carunculas papillares desinentia, quibus lotium similibus onustum ramentis per cribra renum secedit. Duplici huic, aliæ ad scopum eundem concurrunt excretiones. Plurimus passim ipsarum ordo, par ubique earum utilitas. At hæc in secretionem omninò refundatur; nihil enim nisi secretum excernitur. Ex his jure colligas secretionum, & nutritionis materiam eandem. Nutritionem perpetuam esse secretionem; & vicissim. Hæc præparari, perfici, applicari nutrimentum, inquilinis expurgari particulis, & quidèmm immediatè. Non diffitemur enim ipsas secretionum causas esse & nutritionis primarias: sed proxima est secretionum ad nutritionem operatio. Nil secernitur quin reddat aliud, vel fiat ipsummet corpori nutriendo aptius. Confirmat hoc explicatus functionis utriusque mechanismus. Probat & unita secretionis cujuscumque ad alendum potentia.

Ergò Nutritio Secretionum opus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Thomas LE TENEUR, Chirurgiæ Latino Idiomate Professor designatus.

M. Ludovicus DESBOIS DE ROCHEFORT, Eques Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus, Censor Regius.

M. Ludovicus Gabriel DUPRÉ, Serenissimi Principis Condæi Consiliarius Medicus.

M. Felix VICQ D'AZYR, Pathologiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Serenissimi Comitæ Atrebatum Consiliarius Medicus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius Honorarius.

M. Joannes-Franciscus DE LALOUETTE.

M. Antonius PETIT, in Horto Regiâ Anatomies & Chirurgiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium Regni Nosocomiorum Inspector.

M. Antonius-Chaumont SABATIER, Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.

M. Josephus COTTON.

M. Stephanus POURFOUR DU PETIT.

Proponebat Parisiis NICOLAUS-FRANCISCUS LAVERNE, Catalaunus Saluberrimæ Facultates Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, necnon Doctor Medicus Remensis A. R. S. H. 1781.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1781.